

CASUS VI.

CONSENSUS CONDITIONALIS.

ODILO et ODILIA secundo gradu consanguinitatis inter se invicem conjuncti, sponsalia contrahunt, hac tamen adjecta conditione : *si Papa dispensaverit*. Subinde, communi consensu, supplicem libellum Romam ad dispensationem impetrandam mittunt. Interea ODILO, cum aliam puellam, VIRGINIAM scilicet, ODILIA pulchriorem, et aliis etiam dotibus præstantiorem invenisset, cum ea, priorum sponsalium ignara, nova inivit sponsalia. Paulo post, instante jam matrimonii inter ODILONEM et VIRGINIAM celebratione, ODILIA dispensationis litteras accepit, et statim ab ODILONE fidem sibi datam servandam esse reclamat. Anxius ODILO a confessario quærit quid sibi faciendum sit? Confessarius autem ipse dubius et anceps quærit quid sit ODILONI suadendum?

HINC :

QUÆR. 1^o *An, et quando valida sint sponsalia sub conditione?*

2^o *Quid de primis et de posterioribus sponsalibus ab ODILONE initis sentiendum sit?*

3^o *Quid ODILONI præscribendum, vel suadendum?*

SOLUTIO :

853. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Sponsalia *sub conditione de futuro*, semper invalida sunt ante conditionis adimpletionem. Ratio est, quia effectus conditionis proprius est ut consensum suspendat, donec conditio impleatur. Deficiente autem consensu, nullus est contractus, nullaque ejus obligatio. Constat etiam ex *Jure canonico*, in 6^o, de *Spons.* § 1, ubi dicitur : « Ille « qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia prioris consanguinea per verba « contraxerit de præsentibus, cum secunda remanere debet, cum ex sponsalibus conditionalibus, ante conditionem exstantem, sicuti consensum « non habentibus, nulla publicæ honestatis justitia oriatur. »

Attamen, stante conditionis suspensione, existit aliqua obligatio, non quidem ex contractu sponsalium, qui ex dictis nullus adhuc habetur, sed ex alia prævia conventionione, vi cujus partes tenentur expectare et non impedire conditionis eventum. Hæc autem obligatio, cum sit tantum ad sponsalia, non vero ex sponsalibus, nullum publicæ honestatis impedimentum generare potest.

854. — 2^o Sponsalia *sub conditione de futuro*, purificata conditione, *per se* fiunt valida, seu absoluta, si utriusque perseveraverit consensus, qui, ut dictum est, absque peccato revocari nequit, proindeque suos pariunt effectus. Dixi *per se*, quia videntur aliqui casus excipiendi, ut infra dicetur.

855. — 3^o An vero valeant sponsalia, stante impedimento dirimente, contracta sub conditione : *si dispensetur?* Dicunt non pauci fieri valida et absoluta, per conditionis purificationem absque consensus renovatione, si

in tali impedimento soleat dispensari. Ita *S. Lig. n. 859*. Opponuntur quidem apud *Analecta Juris Pontificii*, t. 3. p. 122, variæ Decisiones S. Congr. Conc., quibus accessit recens Decisio *Sacræ Rotæ*, cujus maxima est in rebus matrimonialibus auctoritas. *V. Clericati, de Matrim. Dec. 17., n. 41*. Verum Decisiones predictæ id unice statuunt : non subsistere sponsalia *ante impletam conditionem*, quod nemo negabit. *V. Acta S. Sedis, Vol. 1, pag. 79*.

Secus vero dicendum foret, si de impedimento impediendo tantum matrimonium ageretur, v. g. si unus e sponsis voto simplici castitatis esset ligatus; tunc enim, obtenta dispensatione, sponsalia, absque consensus renovatione, absoluta evaderent.

856. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o Priora sponsalia ODILONIS invalida fuerunt, tum quia erant tantum conditionalia, et sponsi consensus ante conditionis purificationem revocatus est, tum etiam quia, stante impedimento dirimente contracta sunt, ut sequitur ex dictis. 2^o Quoad posteriora sponsalia ODILONIS, seu cum VIRGINIA contracta, res non adeo perspicua est.

I^a SENTENTIA hæc sponsalia habet ut invalida. Ratio est, quia, licet ODILO ligatus non fuerit ad priorem sponsam ex obligatione sponsalium, obstrictus tamen illi fuit ex obligatione ad sponsalia, vi promissionis eidem factæ, qua stante, eventum conditionis expectare tenebatur. Ergo nova sponsalia contrahere non potuit, quin gravem hanc obligationem violaret; ergo illicite hæc nova sponsalia contraxit; ergo eo ipso invalide contraxit, siquidem ea cum injuria prioris sponsæ inivit. Ita *Elbel, n. 18*.

II^a SENTENTIA, mihi intrinsece *probabilis*, stat pro validitate horum sponsalium. Etenim, ex dictis, invalida sunt priora sponsalia; ergo eo ipso valida sunt posteriora, siquidem tunc prior contractus, utpote irritus, ob stare nequit valori posterioris. Neque obligatio a sponso suscepta expectandi eventum conditionis impedire potest quin posteriora sponsalia valeant. Sequeretur enim tantum peccasse sponsum, violando pactum promissum, seu defuisse fidelitati, non vero propterea invalide nova sponsalia contraxisse.

857. — *R. ad 3^m Quæst.* Stante præcedenti controversia, ODILO urgeri nequit ad ODILIAM ducendam, sed ei permitti potest ut VIRGINIAM ducat; siquidem ex dictis, *probabiliter*, aut etiam *probabilius* valida sponsalia cum ea contraxit, et ad eam obligatur : ergo in bona pace est relinquendus.

CASUS VII.

SOLUTIO SPONSALIIUM 1^o.

LEOPOLDUS, studio juris navans operam, sponsalia juramento firmata cum DOMITILLA honestissima puella inivit, promisitque se eam ducturum esse quando, laurea donatus, advocati munere potiretur. Tribus annis sæpe sæpius puellam invisit, fidemque datam inter colloquendum confirmavit. Quibus rebus ita ejus animum sibi conciliavit, ut illa oblatas ab alio juvene honestissimas nuptias respuere non dubitaverit. Sed LEOPOLDUS,

audita vehementi concione de rerum mundanarum vanitate, fallaci mundo valedicere statuit. Ut majori tamen prudentia procederet, spiritualibus exercitiis in quodam Regularium Conventu vacare voluit, quibus expletis, de consensu Confessarii, tum castitatem servare, tum etiam Ordines sacros suscipere vovit. Absque mora, clericali habitu induto, minoribusque susceptis Ordinibus, theologicis disciplinis toto animo vacavit. His cognitatis, DOMITILLA datam sibi fidem violatam esse conclamat, quam fidem ipsa, rejecto præclaro connubio, adeo fideliter servavit. Hinc crebris epistolis et querimoniis LEOPOLDUM a concepto proposito dimovere conatur. Hic vero anxius quærit a Confessario quid sibi agendum sit?

HINC :

QUÆR. 1° Quomodo sponsalia valida dissolvi queant?

2° An licite et valide voverit LEOPOLDUS?

3° Quid ei præscribendum, aut quid suadendum?

SOLUTIO :

858. — *R. ad 1^m Quæ.* Sponsalia valida dissolvi possunt præcipue : 1° mutuo partium consensu, ut patet, cum singuli e jure suo cedere possint; 2° impedimento superveniente, cum matrimonium, stante impedimento, contrahi nequeat; 3° electione status perfectioris ab alterutro facta, quia contrahens sponsalia non censetur sibi præcludere viam ad statum perfectiorem amplectendum; 4° crimine gravi alterius, vel notabili mutatione status, quia consensus censetur conditionalis, nempe, *si res in eodem statu permaneant.*

859. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirm.* Ratio est, quia non censetur sponsalia promississe, nisi sub tacita conditione, scilicet, *nisi statum perfectiorem elegero.* Hoc confirmatur Decisione *S. Congr. Conc.* edita 15 Martii 1705, ubi dictum est : votum castitatis aut suscipiendi Ordines Sacros per electionem melioris status irritare sponsalia, etiam juramento firmata. *S. Lig. n. 873. — V. Comp. n. 731.*

860. — *R. ad 3^m Quæ.* Nihil aliud LEOPOLDO præscribendum, nisi ut fideliter utrumque votum adimpleat, et suadendum ut sponsam enixe precibus suis Deo commendet. Quod autem sponsa alias nuptias favorabiles repudiaverit, ut fidem LEOPOLDO daret, per accidens est, et casum hunc calamitosum cum pace sufferre debet, donec novæ nuptiæ non contemendæ ipsi arrideant.

CASUS VIII.

SOLUTIO SPONSALIIUM 2°.

CORNELIUS, initis cum ELEONORA sponsalibus, in fornicationem prolapsus est. Accidit postea ut et ELEONORA se eodem crimine pollueret. CORNELIUS jam dolens, ex eo quod ditiores sponsam non quæsiisset, re cognita, libenter arripuit occasionem ab initis sponsalibus recedendi, non obstante intantissima mulieris reclamazione.

HINC :

QUÆR. 1° An fornicatio patrata, sive a sponso, sive a sponsa, sit causa justa a sponsalibus resiliendi?

2° Quid, si uterque in idem crimen lapsus fuerit

3° Quid ad casum?

SOLUTIO :

861. — *R. ad 1^m Quæ.* Sponsus, cognita sponsæ fornicatione, a sponsalibus resilire potest, juxta communem Theologorum sententiam, quia notabilis mutatio in deterius ex parte sponsæ habita est. Hoc dicit certum *S. Lig. n. 861.* An vero sponsa pariter resilire possit, si sponsus fornicatus fuerit? Negat *S. Lig.* cum aliis non paucis, quia fornicatio ex parte sponsi tantam non involvit turpitudinem. Sed responderi potest, quod, licet turpior habeatur lapsus sponsæ quam sponsi nihilominus notabilem status mutationem producere videtur. Ergo sane in simili casu nollem sponsam repugnantem ad nuptias cogere. Qualem enim posthac fidelitatem a tali sponso sperare potest misella?

862. — *R. ad 2^m Quæ.* Triplex datur sententia probabilis. *Prima SENTENTIA*, quam *S. Lig. n. 862*, dicit *probabiliorem et communem*, tenet posse quidem sponsum resilire, non vero sponsam, quia in hoc non haberetur æqua compensatio, cum lapsus sponsæ turpior sit quam culpa sponsi.

Secunda SENTENTIA dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem. Ratio est, quia sicut, contracto matrimonio, si uterque conjux adulteretur, neuter divortium petere potest, ita, si post inita sponsalia uterque fornicetur, neuter resilire potest.

Tertia SENTENTIA e contrario statuit, utrumque recedere posse a sponsalibus, quia utrique per crimen alterius tribuitur justa causa resiliendi.

In tanta Doctorum disputatione, videtur standum esse pro utriusque sponsi libertate. Saltem, si jus resiliendi sponso tribuitur, æquum omnino apparet ut etiam sponsæ concedatur; quia, ut dicit *Castropalao*, licet fornicatio sponsæ turpior sit, attamen sponsus crimine suo etiam fidem datam violavit, et proinde tribuit sponsæ justam causam resiliendi.

863. — *R. ad 3^m Quæ.* CORNELIUS *probabiliter*, et juxta *S. Lig.* etiam *probabilius*, potuit a sponsalibus resilire, ob sponsæ fornicationem, licet ipse etiam lapsus fuerit. *S. Lig. n. 862.*

CASUS IX.

SOLUTIO A SPONSALIBUS 3°.

1° LUCILLUS, postquam sponsalia cum VERONICA contraxisset, non monita sponsa, peregre abijt. Cum jam per dimidium annum remansisset, nihil prorsus VERONICÆ significans, hæc, de mora et silentio illius pertæsa, sponsalia cum PHILIPPO contraxit. Verum, dum fiunt proclamationes, redit LUCILLUS, et uxorem habere præterendit VERONICAM.

2° EDMUNDUS sponsalia contraxerat cum HELENA, puella ejusdem con-

ditionis et fortunæ. Sed, cum jamjam nuptias esset celebraturus, pinguem hæreditatem ex patruo defuncto percepit : quapropter HELENAM respuit, ut aliam æqualis fortunæ ducat.

HINC :

QUÆR. 1° *An longa sponsi absentia absque sponsæ consensu sit pro ea ratio sufficiens ad alium se convertendi ?*

2° *An mutatio fortunæ in uno sponso sufficiat ad sponsalia dissolvenda ?*

3° *Quid ad casus ?*

SOLUTIO :

864. — *R. ad 1^m Quæs. Affirm. per se*, nempe si sponsus discedat in regionem remotam, non coactus necessitate, sed voluntarie, non monita sponsa, sine spe celeris reditus; quia tunc sponsus, sic discedendo, censetur fregisse fidem, et juri suo renuntiasset. Attamen, si non satis constaret de animo mutandi domicilium, vel brevi revertendi, monendus esset per litteras, si fieri facile posset, ut rediret et promissionem imple- ret. Hoc factum, si moras protrahat, liberum erit alteri parti resilire. *Reuter, n. 497. Layman. — Busembaum.*

865. — *R. ad 2^m Quæs. 1°* Si unus e sponsis decrescat notabiliter in fortuna, justa est causa pro altero a sponsalibus resiliendi, ob mutationem status notabilem quæ supervenit. Si vero unus multo ditior evadat, v. g. pinguem accipiendi hæreditatem, an ipse resilire posset? *Controvertitur.* Videtur affirmandum, quia revera magna disparitas inter sponso secuta est. *Ita Illsung, Babenstuber, etc.*, apud *Elbel, n. 54*, et alii apud *S. Lig. n. 1876*, et alii apud *Voit, n. 1164*, ubi dicit hanc sententiam a multis doceri. Contradiciunt tamen communius, quia nihil est mutatum in com- parte nec proinde deseri debet. *V. Comp. n. 731.*

866. — *R. ad 3^m Quæs. In primo casu* VERONICA licite alias nuptias contraxit, ob longam sponsi absentiam, ea non monita, habitam; quia merito præsumere potuit LUCILLUM juri suo renuntiasset. Proinde tardius reclamavit ille prior sponsus. Attamen VERONICA, si malit, ad ipsum redire potest, quia non contraxit cum secundo, nisi deficiente priore.

In secundo casu, non videtur inquietandus EDMUNDUS, saltem probabili- ter, ex eo quod a prioribus sponsalibus resilierit, postquam pinguis hæ- reditatis ipsi advenerit; quia disparitas valde notabilis inter ipsum et sponsam secuta est. Hoc tamen tantum valet, si hæreditas prævisa non fuerit, ut in casu supponitur.

CASUS X.

SOLUTIO A SPONSALIBUS 4°.

Nimum ne crede colori.

BIBIANA puella egregias dotes corporis mentisque præ se ferens, mul- torum oculos in se convertit. Plures adsunt qui ejus manum requirant.

Sed ab ea præfertur SMOIUS quocum sponsalia contrahit. Jam instat matrimonii celebrandi dies. Confitendi gratia Parochum adit BIBIANA, et hæc inter alia pandit : 1° se amisisse jam virginitatem pluries fornicando ; 2° se hic et nunc ab uno circiter mense gravidam esse ex crimine cum illo juvene patrato ; 3° se jam aliam prolem peperisse, nemine sciente, præter obstetricem, cujus ope infantem in nosocomio deposuit. His audi- tis, Confessarius admodum angitur, nesciens utrum BIBIANAM obligare debeat ad hæc omnia sponso declaranda, aut a sponsalibus resiliendum. Judicat melius esse rem totam alto premere silentio. BIBIANA autem abso- luta ad nuptias convolat.

HINC :

QUÆR. 1° *An defectus graves sint a sponsis invicem manifestandis ante matrimonii celebrationem ?*

2° *An BIBIANA prædictos defectus aperire debuerit ?*

3° *Quid de ratione agendi Confessarii ?*

SOLUTIO :

867. — *R. ad 1^m Quæs. 1° Affirm.*, si defectus isti sint graviter nocivi vel injuriosi alteri Parti, v. g., si sponsus labore morbo venereo, vel si sponsa sit actu ab alio gravida, etc.; tunc enim sponsus laborans illo de- fectu illum patefacere debet, aut a sponsalibus resilire. Ratio est, quia, cum tali defectu contrahendo, gravem alteri injuriam inferret.

2° *Neg.* si defectus non sint graviter perniciosi alteri, vel ei speciale incommodum non afferant. v. g., si sponsa virginitatem amisit, vel sit rixosa, etc. Ratio est, quia nemo tenetur se infamare, aperiendo defectus qui alteri non graviter nocent. *Reuter, n. 569. — Voit, n. 1164. — S. Lig. n. 864. — V. Comp. n. 732.*

868. — *R. ad 2^m Quæs. 1°* BIBIANA non tenetur *per se* declarare se lapsam esse in fornicationem, et ideo se jam amisisse virginitatem, quia defectus ille non est sponso nocivus. Licet enim sponsus, cognito defectu illo, jus habeat resiliendi a sponsalibus, attamen, quamdiu ipse exceptio- nem non opponit, sponsa jus habet ad sponsalia. Et quamvis ipsa non possit virum decipere, fingendo se a tali defectu immunem, non tenetur tamen defectum manifestare; sed potest, etiam interrogata, dissimulare æquivoce respondendo : tunc enim non fingit, sed celat vitium occultum. *S. Lig. n. 863.*

869. — 2° *Nec tenetur BIBIANA declarare se prolem peperisse, et in nosocomio aut in alio loco secretissimo reposuisse, modo solverit, vel se- creto habeat unde proles alatur, si quid ad hoc expendendum sit.* Ratio est, quia neque in hoc casu injuriam sponso facit, cum nullum propterea detrimentum ille subiturus sit. Secus tamen, si factum non esset adeo se- cretum ut semper a sponso ignorari posset, quia inde gravissima jurgia et dissensiones aliquando inter conjuges exorirentur.

870. — 3° *Tenetur autem sponso manifestare, se in præsentem gravidam esse, per se loquendo, vel a sponsalibus resilire, quia secus gravissimam injuriam illi inferret, prolem extraneam in ejus familiam inducendo, ab*

ipso enutriendam, et in divisionem hæreditatis cum filiis legitimis admit- tendam. Adde gravissima incommoda quæ subsequerentur, si forte res detegeretur; quod facile fieri posset, si proles, octavo mense a matrimo- nio contracto, enasceretur. Excipiunt plures, si, instantibus nuptiis, puella aliter, quam per matrimonium, famæ consulere non posset; quia tunc non teneretur tantum famæ detrimentum subire ad damnum temporale sponsi avertendum. Exceptionem probare videtur *S. Lig. n. 865.*

871. — *R. ad 3^m Quæst.* Quid de agendi ratione Confessarii? Ex dictis satis patet, levius rem tractasse Confessarium BIBIANÆ, altum servando silentium. *Per se* non potuit eam absolvere, quin ipsi imponeret obliga- tionem statum suum sponso manifestandi, aut a sponsalibus resiliendi, ut dictum est. Attamen tantæ potuerunt esse angustiae pœnitentis, ut, ad ejus famam salvandam, aut etiam honorem familiæ conspicuæ servandum, nec- non ad ingens scandalum avertendum, eam in bona pace confessarius relinquere potuerit, aut etiam debuerit.

Utinam autem hujusmodi casus minus frequenter in praxi occurrerent! Quot sponsi invicem se decipiunt! Talibus nupturis ingeminandum foret effatum: *Nimum ne crede colori.*

CASUS

DE PROCLAMATIONE BANNORUM

SEU

De obligatione et modo banna proclamandi, necnon impedimenta ma- trimonii cognita revelandi.

CASUS I.

OBLIGATIO BANNA PROCLAMANDI 1^o.

EUGENIUS, Parochus, sponso proxime conjuncturus, tertiæ proclama- tionis in Missa solemnè faciendæ obliviscitur. Nuptiæ differri nequeunt; omnia enim sunt parata, et familia spectabilis jam est ex diversis locis coadunata. Quid igitur faciet EUGENIUS, his pressus angustis? An in Vesperis supplere poterit? an in Missa diei sequentis? an tubæ sonitu? an scripto ad Ecclesiæ valvas appenso? Post aliquam mentis fluctuatio- nem, judicat potius publicationem hanc tertiam omittendam esse, innixus principio: *Parum pro nihilo reputatur.*

Alias conjuncturus FLAVIUM et PULCHERIAM, ut optimos Christianos sibi notissimos, nullam præmittit proclamationem, quia ipse certo novit nullum matrimonii impedimentum inter eos subsistere; ex quo sic con- cludit: *Cessante fine legis, etiam lex ipsa cessare debet.*

HING:

QUER. 1^o *An peccet graviter Parochus, si unam solam proclamatio- nem omittat?*

2^o *Quid requiratur ad legitimam proclamationem?*

3^o *An proclamatio fieri possit aliquando die feriali, aut scripto, sive præconis voce, aut in Vesperis?*

4^o *Quid ad casum, seu an, vel quomodo in prædictis circum- stantiis peccaverit EUGENIUS?*

SOLUTIO:

872. — *R. ad 1^m Quæst.* Probabilius affirmandum est, quia omittit partem valde notabilem præcepti sub gravi obligantis. Attamen opposita sententia probabilis vocatur a *S. Lig. n. 990. — V. Comp. n. 735.*

873. — *R. ad 2^m Quæst.* Proclamationes fieri debent tribus diebus festis continuis inter Missarum solemnias. (*Conc. Trid. sess. 24, c. 1, de Reform.*) 1^o *Diebus festis*, id est de præcepto. 2^o *Continuis*, id est nullo die festo omisso. 3^o *Inter Missarum solemnias*, id est, in Missa pa- rochiali. Plures dicunt non posse fieri proclamationes pluribus diebus festis, sibi immediate succedentibus, quia non suppeteret tempus fide-